



**H**Erbertus eruditioe & pietate sub Carolo magno in Germania conspicuus fuit. Itaque cum Biornus rex Suetiae a Carolo petisset, ut eruditos & pios viros ad se transmitteret, Carolus eius petitioni satisfecit, & viros praestantissimos ad eum in Suetiam misit. Ex his Herbertus alios longe superauit. Itaque predicando & instituendo nihil intermisit, quod ad Christianam religionem in Septentrione plantandam pertineret. Cum etiam Linconensis Ecclesiæ in Ostrogothia fundamenta collocasset, primus eius loci antistes constitutus fuit. Cum autem in tam numerosa gente primi illi Evangelij praecones uix sufficerent, Herbertus apud Biornum effecit, ut denuo per legatos Ecclesiarum plures ministros inquireret. Sed quia tunc Carolus in fata concesserat, nuntijs totius legationis partes apud Ludouicum filium exposuerunt. Itaque Ludouicus Aquisgranii Concilium celebravit, & in eo multa de Suecis & Gothis conuertendis inter alia conclusit. Postea etiam Sanctus Ansarius in Suetiam uenit, atque Heriberto fidelis in idolis conuellendis socius adfuit. *Ioan. Mag. lib. 17.*

capite primo.